

282

280

286

276

291

271

331

231

381

181

Ende

Anfang

267

quae etiam est monasterium, pervenimus. Et pulsantes introi-
missi sumus: et intrantes ecclesiam ad orationem nos prostra-
vimus: clerici autem ecclesiae venerunt et nos ad latus
ecclesiae duxerunt sinistrum in quandam capellam, (**B**) in
qua locus erat, ubi Herodes Agrippa decollavit Sanctum
Apostolum Jacobum majorem, fratrem Johannis, ut habetur
Act. 12. Hic est Jacobus major, frater Johannis, cognatus
Christi, tertius Apostolorum vocatione, secretarius Domini
primus martyr inter Apostolos, cuius corpus tulerunt ejus disci-
puli, et in Joppen ad mare deferentes mirabiliter per mare
delati sunt in Compostellam, ubi hodie ab omnibus Christi fide-
libus visitatur. In illo ergo loco antiphonas et alia conscripta
diximus; et indulgentias accepimus (†). Porro ecclesia ipsa
magna est et alta, ita quod p[re]a cunctis ecclesiis, quae sunt
in Jerusalem, eminet, et ante omnes videtur, et primum, quod
visui se objicit, est culmen ecclesiae illius: et non habet fenes-
tras, sed lumen per foramen, quod in ejus cacumine est, per
ecclesiam spargitur. Multae sunt capellae per circuitum ejus,
quae jam sunt desolatae et exsecratae. In ipsa ecclesia pen-
dunt multae lampades, sed in medio pendent in uno candelabro
CXX lampades. Omnes enim orientales in suis ecclesiis
multas habent lampades, ita quod testudines sunt plenae funi-
culis et catenulis. In muro ecclesiae ab extra juxta ostium
est foramen vel fenestra non perspicua, aut reservatorium, in
quo jacent duo magni rotundi lapides, qui sunt apportati de
monte Synai, et dicunt, quod Angeli eos b. Virgini portave-
runt, pro ejus spirituali solatio, ut quia ad tantum spatium
peregrinari virginem conveniens non erat, nec a Jerusalem
recedere, montem ipsum sanctum Synai in lapidibus istis vene-
raretnr. Ecclesia est cathedralis, habens archiepiscopum et
canonicos de ritu Armeniorum. Dicuntur tamen Jacobini, et
sunt Romanae ecclesiae obedientes. Archiepiscopus est vir
maturus et pulcher ac reverentialis; cum quo libenter habuis-
sem colloquium, sed non potuimus nos intelligere. Illi Jacobini
non sunt ita nigri homines sicut alii orientales.

